

dam obtineant, vel integre confiteri nolunt, hoc solum effutientes, nempe quod fecerint id omne quod juvenes ejusdem conditionis facere solent, et alia hujusmodi. Ratio est, quia absolutio ne conditionalis quidem dari potest, ubi dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum omnino deficit. Attamen Confessarius nihil intentatum relinquere debet ut homines hujusmodi ad meliorem frugem reducat, et saltem conditionalem absolutionem iis impertire valeat. *Recole dicta* de Absolutione conditionali n. 395, *et vide dicenda* de Matrimonio, n. 922, 923.

## CASUS XIX.

## CONFESSARIUS CUM SPONSIS 2°.

1° SYNESIUS, Confessarius, inquietus de dispositionibus sponsorum Matrimonii causa confitentium, industria utitur ad dubium dirimendum. Porrigit enim ipsis sponte schedulam confessionis, imperfecta confessione, hortando eos ut mox redeant ad reportandam absolutionem; quod si redeant, concludit pœnitentes dispositos esse; secus vero indispositos, et consequenter se prudenter egisse.

2° MARCUS autem schedulam confessionis libenter concedit juvenibus, qui loco confessionis fatentur se unice ad prædictam schedulam obtinendam accedere, vel qui, rogati ut confiteantur, respondent se omnia patrasse quæ juvenes patrare solent.

3° HENRICUS vero, cum sub nocte admisisset ad Confessionem CAIUM, die sequenti summo mane Matrimonium initurum, mox advertit eum plus æquo bibisse et esse semiebrium, et prorsus indispositum. Quamobrem, impertita ei sola benedictione, schedula confessionis concessa, ocius eum dimittit.

HINC :

QUÆR. 1° *An prudenter egerit SYNESIUS?*

2° *An admittenda sit praxis MARCI?*

3° *Quid vero de agendi ratione HENRICI dicendum sit?*

SOLUTIO :

734. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* SYNESIUS minus prudenter egit, schedulas confessionis sponsis, dilata absolutione, tradendo. Ratio est, quia eos exposuit facili periculo non redeundi ad confessionem perficiendam, et proinde Matrimonium sacrilege contrahendi. Quare igitur instat adeo ut Sacramenti Pœnitentiæ profanationem impediatur, et nullatenus ut digne suscipiatur Matrimonium attendit? Errat SYNESIUS insuper, judicando sponso ad absolutionem reportandam non revertentes, dispositione ad Sacramentum requisita carere; nam facile fieri potest ut sufficiente contritione polleant, vel saltem ad eam facili negotio disponi possint, et tamen ex incuria, aut mutata voluntate, non amplius redeant. Ergo minime laudandus est SYNESIUS, imo graviter arguendus.

735. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Minime admittenda est praxis MARCI Confessarii; falsum enim continet testimonium, siquidem asserit sponsum talem confessum esse, quod falsum est. Non est eroganda schedula confessionis simulato pœnitenti, saltem *per se loquendo*. Dimittatur ille ad proprium Parochum, vel ad eum a quo benedictionem nuptialem accipere debet; hic autem judicabit utrum eum ad nuptias, omisa confessione, admittere debeat, necne. Neque in hoc est periculum frangendi sigillum; hoc enim oritur ex sola confessione sacramentali, qualem non facit ille qui, animo simulato, ad confessionem accedit. *Elbel*, n. 493.

736. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* HENRICUS non est damnandus. Quid enim tu illius loco fecisses? Confessio CAII fuit sacramentalis, et proinde ad sigillum obligans, cum semiebrius actum humanum ponere possit. Ergo schedula confessionis, saltem extra confessionem, ei negari non potuit. Sed neque in ipsa confessione, ut patet ex circumstantiis, nam instat Matrimonium celebrandum, et gravissimum *per se* incommodum esset tum pœnitenti, tum sponsæ et aliis, si differri deberet. — Cæterum, qui non sunt Parochi, prudentes sint in admittendis ad confessionem proxime nupturis, et in pluribus casibus ad Parochum eos remittant, ne occasione schedulæ ipsimet irrideantur.

## CASUS XX.

## DEFECTUS CONFSSIONIS REPARANDI 1°.

NABORIUS, Sacerdos, proluxa PETRI confessione excepta, totus impensus in salutaribus monitis ei suggerendis, et difficultatibus exsolvendis, impertientiæ absolutionis prorsus oblitus est. Inadvertentiæ omissionisque solum meminit, ubi, in sacrarium reversus, se ad Missam celebrandam parabat. Tunc vero secum volvere cœpit quidnam remedii afferret, nec ei menti occurrebat. Contigit autem ut, dum Sacrum faceret, pœnitens ille Eucharistiam suscepturus ad altare accederet. Quid tunc NABORIUS? Dum Hostiam a pixide accepit PETRO porrigendam; secreto, ut adstantes non adverterent, dixit: *Ego te absolvo a peccatis tuis*.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid agendum Confessario qui absolutionis pœnitenti impertienti oblitus est?*

2° *An recte se gesserit NABORIUS?*

SOLUTIO :

737. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* 1° Nihil prorsus faciendum est, si pœnitens venialia tantum clavibus subjecerit, ut res per se patet.

2° Si mortalia accusaverit, et si adhuc moraliter præsens quando Confessarius ad oblivionem advertit, statim absolvendus est, licet præ turba non amplius cernatur, nisi facile sine ejus offensione vel aliorum scandalo revocari queat.

3° Si abierit, revocandus est sub aliquo prætextu, si facile fieri possit,

nisi mox ad confitendum redire debeat, et, postulata prius ejus licentia, atque manifestato absolutionis defectu, hic supplendus erit. Quod si res absque gravi incommodo fieri non possit, res tota Deo commendanda erit. Si autem Confessarius ex gravi sua negligentia absolutionem impertiri oblitus fuerit, etiam cum incommodo suo gravi, pœnitentem admonere tenetur. *V. cas. 6, de Pœnit. n. 389 et seq. V. Comp. n. 643.*

738. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* Recte egit NABORIUS absolvendo PETRUM, modo secreto, antequam ei sacram Hostiam porrigeret. Pœnitens enim est moraliter præsens, adsuntque cætera requisita ad Sacramenti validitatem. Neque obstat intervallum inter confessionem PETRI et ejus absolutionem; non est enim tantum, ut unio moralis materiæ et formæ adesse desinat, aspecta Sacramenti Pœnitentiæ natura, seu forma judiciali quæ in hoc Sacramento servatur. Etenim in Pœnitentia sufficit unio quam exigit actus judicialis; porro actus judicialis sinit, ut intercedat aliqua distantia inter accusationem et sententiam, quamvis, ait *S. Lig.*, distantia illa non tanta esse debeat in Sacramento Pœnitentiæ, quanta in judicio forensi. Communiter autem admittunt Theologi validam esse absolutionem, licet una hora post confessionem effluxerit. *S. Lig. l. 6, n. 9. — Lacroix, — Tambur., etc.* Imo, plures Auctores intervallum illud magis producunt, ut in casu sequenti dicitur.

## CASUS XXI.

## DEFECTUS CONFSSIONIS REPARANDI 2°.

GORDIANUS, Sacerdos, audita confessione SABINÆ, nescio qua de causa, ad alia distractus, eam absolvere oblitus est. Jam pœnitens recesserat, quando Confessarius ad errorem advertit. Primum obstupuit; sed stupor nullum malo remedium affert. Quid igitur faciet ille? Ecce ei deliberanti suboritur perspicua cogitatio. Novit SABINAM die sequenti venturam esse ad Missam audiendam et SS. Eucharistiam suscipiendam, adeoque occasionem eam absolvendi nanciscetur bonus Sacerdos. Alia igitur die SABINAM exspectat, et mox eam cernens in templo, confestim absolvit, licet non monitam.

HINC :

QUÆR. *An GORDIANUS valide SABINAM absolverit, vel quid facere debuisset?*

SOLUTIO :

739. — *R. ad Quæ.* Juxta plures valida videtur absolutio SABINÆ a Confessario impertita, quia ex natura Sacramenti Pœnitentiæ intervallum sat notabile intercedere potest inter confessionem et absolutionem, cum per modum judicii Sacramentum illud conferatur. Hoc enim suadet, aiunt, judiciorum ratio, in quibus absolutio, vel damnatio, etiam longo tempore causæ instructionem et rei confessionem sequi potest. Quare valide quis absolvitur a peccatis, quorum confessio pluribus etiam diebus

præcessit. Sic *Sættler, de Sacram. in genere, c. 1, Quæ. 4, etc.* — Sed negant alii quibus videtur assentire *S. Ligorius, l. 6, n. 9*, ubi hæc habet: « In Pœnitentia sufficit illa unio (inter materiam et formam Sacramenti) quam exigit actus judicialis, cum inter accusationem et sententiam soleat intercedere aliqua distantia temporis, quamvis in hoc Sacramento talis distantia non tanta debet esse, quanta fit in judicio forensi. Dicit *Lacroix, l. 6, n. 8, cum Tambur.*, quod valide absolvitur pœnitens post horam a confessione. »

Quid vero facere debuisset GORDIANUS? 1° Nihil ipsi erat faciendum si pœnitens venialia tantum clavibus subjecerit, ut dictum est in casu præcedenti. 2° Si mulier mortale quodpiam accusaverit, Confessarius debuisset procurare, ut eam die sequenti redeuntem ad confessionale advocaret, si facile id fieri potuisset, et, manifestato absolutionis defectu, roganda fuisset ad denuo modo generali confitendum, actumque contritionis renovandum, ut absolveretur. Quod si Confessarius non potuerit tunc facile pœnitentem ad se revocare, et mox habiturus sit aliam occasionem opportuniorem, v. gr. quia ipsa mox ad confitendum redibit, sinat eam interim in bona fide Eucharistiam suscipere.

Si vero reversura non sit, nec facile postea revocari possit, eam tunc sub conditione absolvat.

## CASUS XXII.

## DEFECTUS CONFSSIONIS REPARANDI 3°.

EUCHARIUS, Confessarius, adegit ALBERTUM mercatorem ad contractum, qui injustus sibi videbatur, rescindendum, et ad lucrum, inde perceptum, ei retribuendum. Postea vero, re melius perpensa, se errasse cognovit; sed non ausus est de errore pœnitentem admonere.

HINC :

QUÆR. 1° *Ad quid teneatur Confessarius qui errores in materia justitiæ commisit?*

2° *Quid de EUCHARIO dicendum sit?*

SOLUTIO :

740. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* 1° Si ex malitia, aut gravi negligentia, seu ex ignorantia graviter culpabili egerit, tenetur errorem retractare etiam cum gravi suo incommodo; et si id non faciat, damnum injustum a se creatum compensare debet.

2° Si inculpabiliter egerit, aut ex levi tantum negligentia, tenetur quidem ex justitia errorem corrigere, sed secluso gravi incommodo. *S. Lig. n. 621. — V. Comp. n. 644.*

*R. ad 2<sup>m</sup> Quæ.* EUCHARIUS errorem suum corrigere debebat cum levi suo incommodo, quia damnum absque culpa gravi, imo potius bona fide, pœnitenti creavit; sed graviter peccavit contra justitiam id omittendo. Itaque adhuc nunc eadem obligatione ligatur, et, nisi pœnitentem admo- neat, eum indemnem facere debet. *V. Comp. n. 644-645.*

## CASUS XXIII.

## DEFECTUS CONFSSIONIS REPARANDI 4°.

DIDYMUS, Confessarius, a SYLVIA interrogatur, utrum ipsa cum SABINO nubere possit? Casum dubitandi allegat sequentem, quod, scilicet, sæpius cum consanguineo SABINI in secundo gradu peccaverit, licet gravida nunquam evaserit. DIDYMUS vero respondit eam posse nubere. Putaverat ille impedimentum affinitatis ex copula illicita non se extendere ultra primum gradum; et insuper credebat copulam non dici perfectam, nisi mulier prægnans evaderet. Paulo post anxius et dubius de veritate hujus resolutionis, nescit quid sibi agendum sit.

HINC :

QUÆR. 1° *An, vel quomodo DIDYMUS erraverit?*

2° *Si erravit, quomodo errorem emendabit?*

3° *Quid, si Confessarius SYLVIAM non noverit, vel nesciat ubi moretur, vel sine gravi incommodo eam advocare nequeat?*

4° *Quid, si matrimonium sit proxime contrahendum quando impedimentum detegitur, v. g. si sponsi jam sint in Ecclesia magno comitatu stipati?*

SOLUTIO :

741. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* DIDYMUS dupliciter erravit respondendo SYLVIAE nullum subesse matrimonii impedimentum, scilicet : 1° quia datur vera affinitas, etsi conceptio non sequatur, modo copula fuerit perfecta, seu talis ex qua generatio haberi possit; 2° quia affinitas ex copula illicita dirimit matrimonium, non tantum ad 1<sup>m</sup>, sed etiam ad 2<sup>m</sup> gradum. Igitur DIDYMUS errorem corrigere debet, si copula reapse fuit perfecta. Præsumenda est autem perfecta, nisi de opposito certo constet, v. g. quia de industria impedita fuit, horrendo crimine *onanismi* patrato. Imo cum incommodo gravi se retractare debet, si errorem ex ignorantia graviter culpabili commisit. Si vero ex aliqua inadvertentia egerit, cum incommodo levi tantum, errorem corrigere tenebitur.

742. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Advertat imprimis utrum matrimonium sit jam contractum, vel non. 1° Si jam contractum sit, sponsos in bona fide relinquat, et quamprimum dispensationem a S. Sede vel ab Episcopo, si Episcopus dispensare possit, obtineat. Dispensatione obtenta, petat a SYLVIA facultatem loquendi cum ipsa de re ad confessionem pertinente. Hac autem impetrata, eidem aperiat matrimonii nullitatem, simulque dispensationem jam actu obtentam, simulque inducat eam ad renovandum consensum, ut dicetur infra de matrimonii revalidatione.

2° Si matrimonium non adhuc sit contractum, tenetur DIDYMUS candide fateri se rem aliter invenisse indagando in Auctoribus, adeoque matrimonium fore nullum, nisi prius dispensationem ab impedimento obtinuerit.

743. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Si DIDYMUS nesciat ubi remaneat SYLVIA, vel eam admonere nequeat absque incommodo gravi, v. g. periculo infamiae, seclusa ignorantia graviter culpabili, nihil aliud faciendum nisi rem Deo omnino commendare.

744. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæst.* Videtur in eo casu permittenda celebratio Matrimonii donec dispensatio obtineatur, quia ignorantia sponsorum est invincibilis, et nimium esset incommodum si de impedimento admonerentur, saltem generatim loquendo. *S. Lig. n. 613. — V. Comp. n. 771.*

## CASUS XXIV.

## DEFECTUS CONFSSIONIS REPARANDI 5°.

PALMATIUS, Sacerdos, audita TITI confessione, rescit eum mille aureos a quodam ditissimo viro subripuisse. Quærit pœnitens quomodo facienda sit restitutio, quia dominus læsus jam obiit, relicto hærede necessario. Confessarius ei injunxit ut præfatam summam in causam piam impenderet, scilicet ad monasterium quoddam restaurandum; quod factum est. Haud multo post, hoc consilium a se datum alteri Sacerdoti narravit; sed ab eo mox audivit, se turpiter errasse. Sed, quid nunc faciet? ipse interrogat.

HINC :

QUÆR. 1° *An PALMATIUS teneatur errorem suum corrigere?*

2° *An monasterium quod pecuniam accepit hanc restituere debeat?*

3° *Quid, si pecunia multis pauperibus erogata fuerit?*

SOLUTIO :

745. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst. Affirm.* Ratio est, quia, obligando TITUM ut pecuniam in piam causam impenderet, hæredem damnificavit; et, licet bona fide egerit, nihilominus, ubi scit se erravisse cum damno hæredis, jam non est amplius in bona fide: ergo ex justitia tenetur errorem corrigere; secus enim censeretur velle damnum productum continuare. *Lacroix, n. 1780.*

746. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Certo monasterium tenetur hanc pecuniam restituere, nisi eam expenderit, nec inde ditius evaserit; quia donatio ipsi facta fuit omnino invalida, siquidem adstabat hæres, jure certo gaudens, et rem suam repetens.

747. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Si pecunia jam moraliter consumpta, vel si multis pauperibus fuit distributa, ita ut recuperari nequeat, nihil prorsus faciendum est PALMATIO, nisi ut Deum oret, quatenus velit aliquo modo creditorem benedicere et compensare. Confessarius enim non tenetur damnum resarcire, quia supponitur bona fide se gessisse, culpam theologiam gravem non commisisse, nec posse sine gravi incommodo errorem corrigere. *Elbel, n. 448.*